Quaestio Quodlibetaria agitanda In Scholis Medicorum Die Jovis 22ᵃ Decembris. M. Bartholomaeo Perdulcis Moderatore.

An Calidum vulneribus Capitis amicum?

Humanum Caput excelso loco situm, Cerebri perpetuo motu agitati, et functionum animalium principii domicilium existit. Hoc temperie frigidum et humidum, tenuior meninx arterijs venisque, intertexta multiplici anfractu media subit, cui natura sine medijs externa non coniungit, durior exquisiti sensus a cerebro donati particeps, calvariam membranam vaginam affert. Utramque tutatur cranium circumpositum, quod septenis ossibus constans duritie et crassitie dissimilibus, sed tamen duplicibus per suturas numero et positione impares (quas quo pauciores eo caput redduntur firmius) non paritas commissis, foris pericranio suas oculis affectiones communicante, et musculosa cute convestitur. Hanc denique decoram vitae expertes pili, nec tamen ex numero partium excludendi, quibus non modo cerebri, sed etiam universi corporis temperies indicatur.

Earum Partium continuatio caput vulnus efficitur; quod si calvariam externam occurse dividi contigerit, vulnus accepisse dicitur, quod in cute sicut in cranio proprias differentias non obtinuit: hoc enim si tantum abscindatur quantum teli acuti insederit, sedes vocatur. At longius decurrente vulnere fissura dicitur comitem habens collisionem, quae tum per se subsistit cum ossa intro decidunt, laedunt vero si cum fistularum accessione intro cedant, effracturam patiuntur. Pars etiam ossis alia, quae percussa est magno periculo interdum frangitur. Quas ob fracturas simplices aut compositas in pueris, aestate, circum tempora et suturas sunt periculosiores, nec non in sincipite in quo tanto periculosius quam in occipite, si curationem admittant occalescunt. Atque vero in regionibus ad austrum tibiarum vulnera, sic ad aquilonem declinantibus locis vulnera capitis difficilius curantur.

Fracti cranii diagnosis ratio et ordo comparanda ex his coniecturis, et his symptomatis fidem habe, casu repentino, bilis vomitu astante, et gracilibus facilioribus, tenebricosa vertigine alias criticas haemorrhagias nuncia, oculorum radios praesentione foras emittentium hebetudine, aphonia, sanguinis e naribus, ore vel auribus fluore, sensus, sine quo motus esse potest intercisione. Quin etiam fractura, specillo, suturarum asperitate saepius delusa, vel sensu transfusum incisa cute sola explorari. Iam igitur vulneratum os superficie tenus scalpro deraditur: fissum usque ad diploen radulis eget, penetratum vero ad sui terebrationem, per modiolos subinde in frigidam demergendos, non tamen in osse fracto, suturis, temporibus, nec circa plenilunium solertem ac confirmatam manum ante diem quartum invitat, quas mox lenticulari asperum ossis labra complanabis, si sudore ad depressum recto restituitur, denique ubi in plura fragmenta sudore disruptum, haec volsellis extrahentur, aut si adhuc parte aliqua haereant forficulis excinduntur.

In acutis et chronicis origine, motu, ac exitu differentibus morbis difficillima prognosis, nec non in capitis vulneribus quibus si haec superveniunt symptomata exitium imminentur. Febris astante citius hyeme tardius oborta, abscessus proveniens laeso cranio sedem solitum, suboritur in lingua pustulas, delirium, tumor citra rationem evanescens, urinae suppressio, alvus sponte soluta, sanae partis convulsio. His quoque si vulneris siccitas et livor, cum ossis scabritie et colore flavo motus cerebri cessatio, et apoplexia accesserint spem angustam relinquunt, quas fere nulla superest cum offensio inguinis ad cerebrum penetraverit, quin ubi sphacelum, sinusque membranis adnascens emergit. Propinata etiam convulsio vulnere iam occalescente, spem concoctam plerumque adimit.

Quae capitis vulneribus impendent symptomata cito prohibentur sectione venae cubiti et frontis, frequenti enemate post catharticum, cibi potusque vaporosi abstinentia, eadem ingravescentium vomitione, tussi, sternutamento, strepitu, lumine, ira ac vigilijs, in pulmonem autem frequentem secundum nullo humore, nedum vino perfundendum, sed partis servanda temperies, ab alto aeris vitanda laedis, et expurganda, quamobrem pulvis cephalicus ex calidis liquore convenienti excipitur. Nudas meningas adijciendum, huic a cranio spongia decocto cephalico imbuta interponitur, os quoque nudum eodem pulvere sicco inspergendum, atque ubi reliquae vulneris cephalicis medicamentis sudore impleverunt, ex ijsdem paratum cataplasma raso capiti utiliter apponitur. In quibus si ipsis semel hyeme, vel aestate superandis arte frigida aeris intemperies emendabitur, ut facilius occalescenti vulneri, cicatrix epuloticis obducta, pristinam capiti unionem restituat.

Ergo Calidum vulneribus Capitis amicum.

Ponebat Thomas Courion Parisiensis. 1577.

D. Doctor. Disput.

M. Petrus de la mer
M. Claudius Rebours.
M. Bartholomaeus Perdulcis

M. bonauentura Granger.
M. Joannes Martin.
M. Andreas du Breuil.

M. Guillelmus de la Barre
M. Joannes de Verneuil.
M. Ludovicus Thibault.

B.I.U.P. BIBLIOTHÈQUE